



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. V. De mirabili effectu diuini amoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

riofitatē, me eis aduerfante, labuntur.

4 Time iudicia Dei, expauesce iram omnipotentis. Noli autem discutere opera Altissimi, sed tuas iniquitates perferutare, in quantis deliquisti, & quàm multa bona neglexisti. Quidam solùm portant suam deuotionem in libris, quidam in imaginibus, quidam autem in signis exterioribus & figuris. Quidam habent me in ore, sed modicum est in corde. Sunt alij, qui intellectu illuminati & affectu purgati, ad æterna semper anhelant: de terrenis grauius audiunt, necessitatibus naturæ dolenter inseruiunt: & hi sentiunt, quid spiritus veritatis loquitur in eis. Quia docet eos terrena despicere, & amare cælestia: mundum negligere, & cælum tota die ac nocte desiderare.

Isai. 29.

Psal. 24

Psal. 1.

## CAP. V.

*De mirabili effectu diuini amoris.*

**B**ENEDICO te pater cælestis, pater Domini mei Iesu Christi, quia mei pauperis dignatus es recordari. O pater misericordiarum, & Deus totius

2. Cor. 1

totius

totius consolationis, gratias tibi, qui me indignum omni cōsolatione, quandoque tua recreas consolatione. Benedico te semper & glorifico, cum vnigenito Filio tuo & Spiritu sancto paraclito in sæcula sæculorum. Eia Domine Deus amator sancte meus, cum tu veneris in cor meum, exultabunt omnia interiora mea. Tu es gloria mea & exultatio cordis mei. Tu spes mea & refugium meum, in die tribulationis meæ;

*Psal. 32.  
Psal. 31*

2 Sed quia adhuc debilis sum in amore, & imperfectus in virtute; ideo necesse habeo à te confortari & consolari: propterea visita me sæpius, & instrue disciplinis sanctis. Libera me à passionibus malis, & sana cor meum, ab omnibus affectionibus inordinatis: vt intus sanatus & benè purgatus, aptus efficiar ad amandum, fortis ad patiendum, stabilis ad perseuerandum.

*Mat. 11  
1. 10*

3 Magna res est amor, magnum omnino bonum, quod solum leue facit omne onerosum, & fiet æqualiter omne inæquale. Nam onus sine onere portat, & omne amarum dulce ac sapi-

sapidum efficit. Amor Iesu nobilis, ad magna operanda impellit, & ad desideranda semper perfectiora excitat. Amor vult esse sursum, nec vllis infimis rebus retineri. Amor vult esse liber, & ab omni mundana affectione alienus, ne internus eius impediatur aspectus: ne per aliquod commodum temporale implicationes sustineat, aut per incommodum succumbat. Nihil dulcius est amore, nihil fortius, nihil altius, nihil latius, nihil iucundius, nihil plenius nec melius in cælo & in terra: quia amor ex DEO natus est, nec potest, nisi in Deo, super omnia creata quiescere.

4 Amans volat, currit, & lætatur; liber est, & non tenetur. Dat omnia pro omnibus, & habet omnia in omnibus; quia in vno summo super omnia quiescit, ex quo omne bonum fluit & procedit. Non respicit ad dona, sed ad donantem se conuertit super omnia bona. Amor modum sæpè nescit, sed super omnem modum feruescit. Amor onus non sentit, labores non reputat; plus affectat, quàm valet: de  
im-

impossibilitate non causatur, quia cuncta sibi posse & licere arbitratur. Valet igitur ad omnia, & multa implet, & effectui mancipat, vbi non amans deficit & iacet.

om. 8.

5 Amor vigilat, & dormiens non dormitat. Fatigatus, non lassatur: arctatus, non coarctatur: territus, non conturbatur: sed sicut viuax flamma & ardens facula, sursum erumpit, secureque pertransit. Si quis amat, nouit, quid hæc vox clamet. Magnus clamor in auribus Dei est, ipse ardens affectus animæ, quæ dicit: Deus meus, amor meus: tu totus meus, & ego totus tuus.

6 Dilata me in amore, vt discam interiori cordis ore degustare, quàm suaue sit amare, & in amore liquefieri & natare. Tenear amore, vadens supra me, præ nimio feruore & stupore. Cantem amoris canticum, sequar te dilectum meum in altum, deficiat in laude tua anima mea, iubilans ex amore. Amem te, plusquam me, nec me, nisi propter te: & omnes in te, qui verè amant te, sicut iubet lex amoris lucens ex te.

7 Est

7 Est amor velox, sincerus, pius, iu- <sup>1. Cor. 13.</sup>  
 cundus & amœnus: fortis, patiens,  
 fidelis, prudens, longanimis, virilis, &  
 seipsum numquam querens. Vbi enim  
 seipsum aliquis quærit, ibi ab amore <sup>1. Cor. 10.</sup>  
 cadit. Est amor circumspæctus, hu- <sup>Phil. 2.</sup>  
 milis & rectus: non mollis, non leuis,  
 nec vanis intendens rebus; sobrius,  
 castus, stabilis, quietus, & in cunctis  
 sensibus custoditus. Est amor subie-  
 ctus, & obediens prælatis, sibi vilis &  
 despectus, Deo deuotus & gratificus,  
 fidens & sperans semper in eo, etiam  
 cum sibi non sapit Deus: quia sine  
 dolore, non viuatur in amore.

8 Qui non est paratus omnia pati,  
 & ad voluntatem stare dilecti, non  
 est dignus amator appellari. Opor- <sup>Rom. 8.</sup>  
 ter amantem, omnia dura & ama-  
 ra, propter dilectum libenter ample-  
 cti; nec ob contraria accidentia, ab  
 eo deflecti.

## CAP. VI.

*De probatione veri amatoris.*

1 **F**lli, non es adhuc fortis & prudēs  
 amator. Quare Domine? Quia  
 propter